



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

Il. V. teneatur Sacerdos in omni casu Sigillum Confessionis tenere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

erga poenitentem in eius vulneribus medici more perscrutandis, ac medicina adhibenda, tum erga seipsum cautè agendo in iis interrogandis, quæ possent in tentationem adducere incautos.

QVINTO, Secretum, de quo in sequenti Capite agetur.

CAPVT VII. De Secreto seu Sigillo Confessionis.

Quidnam est Sigillum Confessionis?

*Quæstio
I.*

Sigillū Confessionis nihil aliud est, quàm obligatio ita celandi peccata, in Confessione audita, & omnia alia, per quæ potest peccatum, vel peccator deprehendi, siue Sacerdos absoluat, siue non; vt nulli vnquam fas sit, ea manifestare.

Responsio.

Teneturne Sacerdos in omni casu hoc sigillum Confessionis tenere?

*Quæstio
II.*

Omniò tenetur, neque vnquam debet, quocunq; præcepto humano interueniente, eam reuelare; quia peccata aliorū in Confessione percipit, non vt priuata quædā persona, neque vt ipsemet, sed tanquam is, qui

Responsio.

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

qui publico hac in re Ecclesie ministerio fungitur, & veluti DEVS ipse, ea percipit, & intelligit. Non enim vt homo homini, peccator Sacerdoti seipsum cum tanta humilitate, & deiectione in Confessione prostrat, & cuncta tam cordis, quam operis malefacta ei referat; sed ipsemet DEO omnia in Sacerdote percipienti se totum expandit, & reclusis animi visceribus patefacit. Audit igitur DEVS confitentem in Sacerdote, & in eodem Sacerdote ligat, & absoluit confessum. Dicat itaque, vnà cum Esaia Propheta, Ecclesie; cui officio deseruit minister ipse Sacerdos: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Quia si Cham patri Noë displicuit, quod verenda corporis ipsius non absconderit, sed cum irrisione monstraerit; proptereaque in nepotem maledictionis nota hæditario quodam iure proiecta est, quantò magis Diuinam incurret iram, qui animorum dedecora occultè sub velo Confessionis audita inuulgauerit? Sacramentum enim Regis Confessio est; at Sacramentum Regis, vt inquit Thobias, abscondi debet.

Esa. 24.

Genes. 9.

Thob. 12.

Questio Quo iure ad tam strictam Secreti observationem in Confessione Sacerdos tenetur?
III.

Responso. Iure naturali, Diuino & humano.

Quomo-